DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PROFLUVIIS CRUENTIS
EX
SYSTEMATE UROPOETICO

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI ET MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN


CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Antonius Staudacher,

Tyrolus Oberhofensis. Medicus castrensis.



In Theses adnexas disputabitur in Academia Josephina die mensis Octobris 1838.

VINDOBONAE.

Typis Viduae Antonii Strauss.

Definitio et divisio morbi.

Nomine profluvii cruenti ex systemate uropoëtico omnis comprehenditur sanguinis ex vasis organorum systema uropoëticum constituentium emissi per urethram excretio.

Sanguinis, quem vasa renum, uretherum, aut ipsius vesicae urinariae plorant, in hujusce cavo collectus, nisu ad mingendum urgente, contractionibus vesicae extricatur; hinc omni jure nomine mictus cruenti aut haematuriae (ex graeco τὸ αἷμα sanguis et οὐρέω mingo) profluvium sanguinis ex organis supradictis designandum venit.

Sanguinis vero ex urethra et organis cum illa nexis stillicidium absque omni ad mingendum conamine contingens, in hunc conceptum, ne in errorem incidamus logicum, non coërcebimus; sed potiori jure nomine Urethrorrhagiae salutabimus.

In fontem haematuriae indagantes, illum triplicem invenimus, prouti nimirum vasa renum, uretherum aut vesicae urinariae sanguinem fundunt, hinc tres quoque illius species statuuntur:

1) Haematuria renalis; 2) uretherica et 3) vesicalis.

Urethrorrhagia secundum idem principium divisa quatuor comprehendit species: a) Urethrorrhagiam proprie sic dictam, b) seminalem, prostaticam et 4) testicularem, prouti sanguis, aut ex ipsius urethrae vasis depletur, aut ex vesiculis seminalibus, ex prostata, aut ex testiculis in illam delatus profluit.

Reliquarum hujus profluvii distinctionum, uti in activam et passivum, idiopathicam, sympathicam et symptomaticam, traumaticam, metastaticam, periodicam etc. utut cuivis haemorrhagiae communium expositionem hic locorum supersedeo, suo tempore, quem merentur respectum, non neglectatus.

Diagnosis.

Symptoma unicum et pathognomonicum haematuriae et urethrorrhagiae, sicuti omnis haemorrhagiae apertae sanguis est ipse, qui vel mere excernitur, fluidus aut coagulatus, coloris aut laete rubri, aut profunde tinctus, v. etiam lotio intime mixtus, quod abinde aut rubrum, aut nigrescens et turbidum redditur.

Ubi ergo sanguis merus, fluidus aut grumosus per urethram expulsus, vel qualitate largiore urinis admixtus visui effertur, diagnosis nullis premitur difficultatibus, ast multo facilius dubia moventur de vera morbi natura, si exigua sanguinis quantitas urinas tingit et subtiliter divisa cum illis commiscetur. Nam urinae sanguinolentis quoque aemulae redduntur, non modo post usum quorundam vegetabilium, colorem suum humoribus excretis impertientium, uti radicis rubiae tinctorum, rhei chinensis, cacti opuntiae aliorumve; sed etiam in morbis non paucis, in febribus puta inflammatoriis, intermittentibus, biliosis, in hydrope multisque aliis urinae profundius tinctae, ideoque sanguinem continere mentientes conspiciuntur.

Commendantur, ut dissipentur dubia explorationis methodi diversae, quorum simplicissima illa habetur, chartam albam aut linteum per momenta urinis immergendi. Color ei impictus ruber sanguinem prodit.

Porro urinae sanguinolentae statim, quam mittuntur turbidae, temporis tractu sedimentum deponunt rubrum

aut nigrescens, grumos aut fila referens, colore non amplius solubile. Urinae autem hisce quoad colorem aemulae, sanguinem tamen non vehentes, sub mictu et mox post illum diaphanae esse solent, sensim turbantur, denique hypostasim formant coloris vi liquescenti iterum cedentem. Istis tentaminibus non sufficientibus, ars chemica nobis adminicula suppeditat, quodcumque dubium dissipantia. Affusa aqua fervida, sanguis urinis admixtus in coagulationem cogitur et pars ejus fibrosa cum cruore vasis fundum petit. Eodem modo quoque acidum nitricum aut sulphuricum et alcohol, cum urinis suspectis commixta per coagulam grumosam aut filiformem, residentiam, sanguinis praesentiam produnt. Praeterea quoque inquisitio accurata in dispositionem aegri, causas occasionales; nec non symptomata morbosa, in organis uropoëticis aliisque cum hisce consensum faventibus obvenientia praegressa et praesentia, ut diagnosis omni dubio eripiatur, medicum ducat, necesse est. Symptomata illa passionem unius aliusve organi ex apparatu uropoëtico denotantia pro causa morbi proxima et remotiore admodum variant, quae, quum singulas morbi nostri species ex illis distinguere liceat, in descriptione harum specierum depingere conabor.

I. Haematuria.

1) *Haematuria renalis seu haemorrhagia renalis, seu neuphrorrhagia* raro prodromis caret, frequentius illam symptomata gravia antecedunt ex morbo renum pendentia, in cujus sequelam sanguinis profluvium intrat indeque diversa.

Calculus renalis, si, qua causa haematuriae inculpandus venit, proditur doloribus intensis, lacerantibus in regione renum et vesicae urinariae, spasticis adfectionibus in abdomine, stupore femoris, testiculi retrac-

tione, alvo clausa, variis urinae excretionis turbis, quoad intensitatem a dysuria ad ischuriam diversis. Si ex basi renum per pus aut ichor erosis sanguis mittitur, symptomata nephritidis illamque insequentis suppurationis aut ulcerationis prodromos haematuriae constituunt. Hinc febris, dolores renum et urinarum excretionis anomaliae praegressae, dein sensus molestus tensionis, gravedinis et frigoris in regione lumbali sequutus sanguinis cum pure aut icharo commixti secessum antecedunt.

Si gangraenae renum sanguinis profluvium originem debet, symptomata inflammationis vehementissimae et inde exortae gangraenae signa topica et universalia sat nota urinarum excretionem subsequam habent nigrarum, summe foetentium cum glomerulis sanguinis nigridentis commixtarum, tandem sedimentum schocoladeum deponentium.

Ubi vero ex congestione sanguinis activa aut passiva nexis vasorum renum contingerat, sensus coloris aucti, ponderis et tensionis in regione lumbali, dolores ibidem pressivi, nec non signa congestionis in aliis quoque pelveos organis praecipue intumescentiae vasorum haemorrhoidalium per longius breviusque tempus antecedentia, haematuriam annunciare solent.

Ceterum in haematuria renali sanguinis profluentis quantitas larga esse consuevit propter lumen sat largum, arteriae renalis illiusque ramificationem et impetum insignem, quo sanguis per hanc arteriam ex aorta vix egressam renes inundat; sanguis insuper laete rubet et urinas, quibuscum intime commiscetur, suo tingit colore et nisi permagna quantitate contineatur, difficilius ab iis separatur. Sanguis largior in vesicam devectus et non illico expulsus, in coagulum coactus dysuriam, ischuriam, dolores in regione vesicae excitare valet, itaque calculum vesicae simulare, quae vero suspicio per ab-

sentiam symptomatum lythiasis et per investigationem cum cathedre mox aufertur.

2) *Haematuria uretherica* seu *haemorrhagia uretherum* seu *uretherorrhagia* rarius obvia a reliquis haematuriae speciebus ardue distinguitur, nisi calculus in hisce viis haerens, aut violentia quadam forinsecus illata illum indicaverit. Symptomata diagnosim adjuvantia sunt. Dolor quoad intensitatem diversus e regione renum versus vesicam descendens; sanguinis quantitas parca, lotio intime commixti. Si sanguis per uretheres descendens in coagulum coiverat, massam filiformem aut vermicularem refert, bruneo aut nigro, aut flavescente colore instructam, quae uretherem vel obturat ejusque diametrum quandoque valdopere extendit ischuriam causans, v. per sanguinem allidentem in medio perfossa novum quasi in urethere pro lotio canalem constituit, vel in vesicam depulsa per urethram evehitur et ignaris vermis faciem ludit.

3) *Haematuria vesicalis seu cistica, seu haemorrhagia vesicae urinariae,* illa dicitur haematuria species, in qua sanguis ex ipsius vesicae vasis profluit. Haec multis atque momentosis symptomatibus circumdari solet, quae partim a vesicae urinariae summa sensilitate, partim ab obstaculis, quae a sanguinis concrementis excretioni urinarum opponuntur, dependent. Miratu enim dignum est, vesicam urinariam stimulum ab urinis in illa modice accumulatis nequaquam resentire, in quodvis vero aliud peregrinum, etiamsi blandissimum ab omni stimulo expers reactiones vehementes explicare. Ex hac ergo sensilitate dolores et spasmi variae formae a sanguine collecto excitati derivari possunt. Ex altera parte sanguis cum urina non tam intime mixtus, mox iu coagula coit, quae pondere suo et per urinam allidentem ad callum vesicae vehuntur, ibique viam plus minusve obturantia, mictus difficultates, quoad gradum diversas efficiunt. Hinc sym-

ptomata sequentia haematuriam vesicalem consuetim antecedere et comitari solent. Major vesicae ad stimulos urinae etiam paucioris sensilitas, mictus non modo solito frequentior, sed cum mojori simul conatu absolutus; angustia, tensionis, ardoris in hypogastrio sensus; materiae tenacissimae puriformis, alentis, ad fundum vasis ruentis cum urinis excretione. Mutata sanguinis stagnantis indole in immensum non raro dolores hypogastrii, perinei, lumborum increscunt, anxietas, spirandi difficultas, nausea vomendi conatus ipseque vomitus, febrilia hinc inde symptomata cum pulsu frequente contracto, animi deliquia, sudores frigidi, continuas ad mingendum nisus, tenesmus ad anum, dysuria, stranguria vel et ischuria completa succedunt. Sanguis excretus ipse parcior esse solet, quam in haematuria renali, quia vasa numerosa et tenella vesicae quantitatem tam longam brevi tempore fundere nequeunt; ipse rarius laete ruber est, saepius obscurior, aut nigricans non tam intime commixtus cum urinis profunde tinctis, olidis pus vehentibus conspicitur. Nunc descripta symptomata, facta sanguinis excretione, utplurimum mitigantur residua tamen dolorifica ustionis. Urinae per tempus aliquod largiores minusque cruento fluunt, cum denuo illarum fluxus per grumos ad vesicae collum detrusos denuo intercipitur et dolores immanes, fere intolerabiles, illis ad partum aequantes sequuntur, sub quibus quandoque sanguinis coagulati frustula, sub forma polyposa per urethram violenter extensam et dolentem evehuntur, sed non ubique et semper symptomatum tam dictorum, uti nunc delineari, caterva haematuriae vesicali associatur, imo haec potius, sicut in haematuria renali pro causa morbi proxima multum variant. Observabantur casus, etiamsi rariores, in quibus sanguis nullis praegressis molestiis, nullis comitantibus in commodis absque nixu, consueto intensione cum urinis per urethram profluxerat; observabantur quoque casus, in

quibus haec haemorrhagia periodice, typo quasi menstruorum aut fluxus haemorrhoidalis obediens, cum aequalibus, ac haec profluvia pro salute aegri emolumentis intraverat.

Symptomatum syndromes, quam supra adtuli, quam maxime illi haematuriae speciei convenit, quae vasis varricosis et congestioni sanguinis ad organa pelveos (morbo haemorrhoidali) originem debet, quem seu causam morbi praeter symptomata supra adlata quoque dispositio haereditaria, aetas, constitutio, temperamentum, symptomata morbi haemorrhoidalis universalia, varices ad anum, continua dysuria propter vasa cervicis, vesicae tumida et periodicus morbi decursus denotant haemorrhoides vesicae coecas ex rivo sanguinis catheteris adplicationem; etiamsi manu prudenti perfectum derepente insequentem, cognoscendas esse adfirmat.

Calculum vesicam laesisse et ex vasis pereuntem laceris sanguinem profluere, suspicari fas est, si aeger in regione degit, aetatem agit, quae lythiasi favent, si symptomata calculum indicantia per longius tempus jam praecesserant, si per explorationem cum digito per intestinum rectum, aut vesicae ipsius cum specillo aut cathetere calculus detegitur, non adeo magnus, sed minor potius angulatus, aut cuspidatus compactus, si post motum quemdam vehementiorem, uti vectionem in rheda perstrata, lapidosa ad equitationem incommoda, a calculo repentine increverant, irritationis vesicae symptomata accesserant, quae dein sanguinis excretio sequitur.

Facilius ulceratio et gangraena vesicae atque inde dependens haemorrhagia cognoscitur, ex signis inflammationis praegressis et symptomatibus, illa subsequentibus suppurationem, illis haematuriae renalis ex iisdem causis ortae prorsus analogis.

II. Urethrorrhagia.

Urethrorrhagia, haemorrhagia penis seu urethrae, haematuria uretherica *stillatitia, spuria, stymatosis, stymathorrhagia,* omne dicitur sanguinis profluvium ex urethra, clauso vesicae collo, hinc absque ad mictum conatu contingens. Sanguinis ergo stillicidium citra mictum quoque citraque ad illud conamen contingens symptoma sistit essentiale et a quavis haematuriae specie distinctum, quamvis symptomata quoque morbosa alia pro causa et sede multum diversa organorum sanguinem fundentium hujus morbi diagnosim non parum adjuvant. Secundum organon, ex quo sanguis funditur aliaeve rationes penis, aut flaccidus, aut erectus conspicitur, quo ultimo statu praesente haemorrhagiam nominibus stymatoseos, stymatorrhagiae aut phallorrhagiae, quae statum membri erectum indicant, alias ineptis omnino salutari licet.

Quamvis in propositis fuisset, nonnisi illas haemorrhagiarum species depingere, quarum fons in organis se- et excretioni urinarum dicatis radicatur, itaque hic locorum nonnisi profluvium ex ipsius uretherae vasis exponendum esset, tamen differentiae causa sanguinis quoque fluxuum, ex organis ad uropoesim proprie non spectantibus, sed uretheram ambientibus et in illam osculis hyantibus, hic brevem mentionem non facere non possum; hinc quatuor quoque urethrorrhagiae species statui, nunc singulas pertractandas.

1) Urethrorrhagia proprie sic dicta ab omni haematuriae specie eo differt, quod symptomata haematuriam renalem et vesicalem designantia topica et universalia deficiant, eorum potius locum quam saepissime dolor occupet ad quandam uretherae regionem fixus, urens sub pressione cum profluvio augendus. Sanguis praeterea sincerus etiam citra mictus tempus aegro inscio et dormien-

te profluit ut plurimum guttatim et parca quantitate, quandoque etiam pleno rivo et largus isteque fluxus jam per breve tempus continuat, jam in septimanas et menses protenditur. Variant quoque symptomata haemorrhagiam comitantia multum juxta causam morbi proximam et remotam, cum symptomatibus haematuriae ex iisdem causis exortae, analoga. Sic si menstrui aut haemorrhoidalis fluxus suppressio illius in causa fuit, sensus trahaens, tendens in regione lumbali et inguinali, dein urethrae ardor, calor, pruritus erectiones protractae, priapismus, chorda et status subinflammatorius, nec non morbi haemorrhoidalis signa nota praecedunt.

Sic blenorrhea ulcera, gangraena, vulnus urethrae, quae causam frequentem hujus haemorrhagiae sistunt, suis quoque circumdantur symptomatibus.

2) *Urethrorrhagiam* seminalem, ex sanguine cum semine commixto, aut illius ejaculationem, illius insequente stillicidio, ut plurimum parco, ex nisu sexuali excedente et sensatione quadam dolorifica ad perinaeum cognoscere licet.

3) *Urethrorrhagiae prostaticae et testicularis* quoque diagnosis, citra sanguinis profluvium cum humore prostatae aut spermate commixti ex pathemate harum partium] praegresso aut adhuc praesente depromitur.

Aethiologia.

Dispositionem in haematuriam praecipue aetas senilis involvit, in qua organa pelvim occupantia facillime in morbos implicantur et prae ceteris impetum sangninis patiuntur. Teste Celeb. Reil (Fieberlehre III Th. S. 111 und 114) morbus haemorrhoidalis hac aetate saepe vasa vesicae, qua organon secretorium sibi eligit, aut primarie, aut praegresso sanguinis fluxu immodico ex vasis circa anum sitis. Major quoque in masculis in hunc mor-

bum invenitur dispositio, et quidem ex ea causa, quia morbus haemorrhoidalis multo frequentius in illis obvenit et organon aptissimum pro sanguinis profluvio cruento suscipiendo; uterus in illis deficit, quamvis negari non possit, haematuriam in femellis ex dicta causa proscaturientem, hinc typo cuidam obedientem, cum menstruis saepe confundi, ob facile cruoris per declivem genitalium ad ostium vaginae defluvium, in quibus anni climactericae, et cum illis silentium fluxus menstrui aliquam in haematuriam proclivitatem impertiuntur. Disponunt praeterea in morbum nostrum morbi organorum uropoëticorum organici anomaliae profluviorum aliorum cruentorum et praecipue lythiasis.

Ad causas occasionales referuntur praeter illas, quae profluvio haemorrhoidali faventeae praecipue, quae in vias uriniferas magis agunt, sanguinem torrentem ad illa alliciunt, aut vasorum horum organorum laesiones efficiunt. Numerantur ad externas: Lapsus in renum, uretherum, vesicae perinaei regiones, percussio, contusio, laesio earundem, luxatio vertebrarum lumbalium, fractura, equitatio violenta, protracta vectio in rheda per vias saxosas, nixus fortior sub luxatione, ponderis gestatione, partu difficili, impetuoso sub vomitu. Ex causis internis praecipuae sunt Calculus renum, uretherum vesicae, inflammatio, suppuratio, ulceratio, induratio, callus scyrrhus carcinoma, excrescentia fungosa vesicae [1]) lythotomia, catheteris rudior adplicatura. Drastica, praecipue Aloë, diuretica fortiora, meloe vesicatoria et majalis, balsamina, praecipue balsamum peruvianum et copaivae majori dosi adsumta mictum cruentum reddere valent. Cantharides quoque externe ad majorem plagam aut iteratim, praecipue ad nucham adpli-

---

[1]) Cuppl's medic. Betrachtungen aus den novis actis Naturae. Cur. S. 131.

cata [1]) ex eadem causa frequentius provenire asseverat, quia venenum ex cantharidibus via brevissima per ductum thoracicum sinistrum et dextrum in sanguinem defertur.

Prostant etiam exempla de vermibus cum urinis excretis et quidem Cel. Bremser strangilum gigantem et parvos quosdam alios vermes, nomine proprio nondum distinctos, partim renes, partim vesicam incolentes et arrodentes atque hoc modo haematuriam inducentes nobis in opere suo egregio depictos tradidit. Sic et experientia exaestuationem per spirituosorum abusum et immodicam genitalium per coitum aut onaniam intensionem aliaque plethoram abdominalem humorumque ad organa uropoëtica symphoresim provocantia, haematuriam inducere posse, confirmavit.

Excitant illam quoque profluviorum aliorum cruentorum suppressio, praecipue haemorrhoidalis et menstrui anomaliae functionis hepatis [2]) sordes biliosae [3]) scabies retrogressa [4]) rheumatismus et praecipue arthritis ad organa uropoëtica metastaticae depositae [5]).

Praeterea quoque saepe morbis associatur, qua symptoma resolutionem humorum perhibens, uti febribus nervosis, putridis, scorbuto, exanthematibus, praecipue variolis in characterem septicum inclinantibus.

Saepe etiam cruor ex urinae receptaculis summo cum aegrotantis emolumento et sub nephrititis crisi prorupit. Tandem Cel. Reil [6]) haematuriam semel in epidemiae

---

[1]) S. Th. Soemmering de morbis vasorum absorbentium. Francof. ad M. 1775. §. 39. pag. 64.

[2]) Schenk Obser. Lib. III. Sect. 2 Obt. 256.

[3]) Finke von den anomalischen Gallenkrankheiten aus dem Latein. von J. G. Frank, Frankf. 1797. S. 5000.

[4]) Morgagni de morborum sede et causis. Epist. XLI art. 5.

[5]) R. A. Vogel de cognosc. et cur. C. M. affectibus §. 292.

[6]) Fieberlehre 3 Bde. S. 115.

saevitiem evectam animadvertit, quae vero nonnisi corpora juvenilia et mascula adoriebatur.

In urethrorrhagiam disponuntur prae ceteris juvenes libidinosi, fallaces, senes haemorrhoidibus adfecti aliive vitiis organis in urethra atque partibus adjacentibus laborantes.

Excitant illam haemorrhoidum atque fluxus menstrui turbae, excessus in Venere, masturbatio frequens, blenorrhea urethrae saepius repetita, chronica, lapsus in penem erectum, denique omnia, quae nimium sanguinis ad genitalia impetum excitant ejusque reditum intercipiunt, pressio apud mulieres uteri gravidi in vesicae aut urethrae vasa, scyrrhus, ulceratio cujusvis generis, gangraena urethrae, priapismus, paraphymosis et penis per illam incarceratio, calculi corporaque alia peregrina acuta v. aspera, catheter, cereoli ruditer applicati et aliae violentiae integritatem vasorum urethrae laedentes.

Prognosis.

Prognosis ex causa proxima et remota morbum excitantibus et faventibus, dein ex sede et gradu depromitur.

Haematuria nephritidem critico modo decernens, vel quae alia profluvia cruento modo vicario supplet, saepe in emolumentum cedit aegro, sequelarum tamen infaustarum, periculis numquam amotis, quae ex atrio ad secretiones minus apto resultant. Vesica enim stimuli impatiens, in sanguinem quoque graviter reagere, ejus collum per grumos sanguinis obturari, itaque urinae secretionis difficultates a dysuria ad ischuriam, usque quoad gradum variantes oriri, vel etiam isti grumi calculo futuro nucleum exhibere solent.

Levioris momenti morbus est censendus, si causis externis, non adeo gravibus et absque difficultate amo-

vendis debet originem vel internis etiam, actione vero mox transitoria, organa uropoëtica lacessentibus. Ominosus autem est ille, si causis gravioribus debetur quae amoveri nequeunt. Hinc renum, uretherum majori calculo, istorum ac vesicae ab ulcere affectio, quam plurimo vitae discrimine si profluvium cruentum, saniosum accedit, est juncta. Haec si haematuria febri nervosae aut putridae voriolae aut scorbuto accedit; plerumque mortis pulsantis nuncius. Aeque momentosus et saepissime laethifer morbus evadit, si rheumatismo et arthritidi organa pelveos infestientibus debet originem. Infaustissima quoque saepius fit prognosis, praecipue in vesicalis per intensissimos vesicae et reliqui in consensum tracti organismi spasmos et convulsiones, quae hic accedere solent et aegrum, nisi trucidunt, summis cruciatibus torquent. Sedem si respexeris, haematuria renalis et uretherica, semper majoris est habenda, quam vesicalis, licet haec quoque raro periculi expers decurrat.

Quod gradum attinet, haematuria, ut reliqua profluvia cruenta, si frequens aut uberior fuerit, febrim lentam, hydropem, aut tabem post se trahit.

Urethrorrhagia immodica dum fuerit, hydropis, tabis ipsiusque mortis pericula non aufert. Saepius haec interim adeo non premunt, et externis accessus auxiliis conceditur, et contra non paucis, ubi profluvium ex urethra illud, quod ani ex vasis aversum fuit, suppleverat et periodice rediit non periculosum, imo salubre observatum est. Quod ex ulcere descendit uretherali, certe majoris momenti est, et difficilius curatur, profluvium, quod et tunc valet, ubi alia illius causa amoveri non potest. Urethrae canali lacerata non modo sanguis, sed et ipsae urinae cellulosam, penis, scroti, perinaei telam penetrant, difficiles sanatu tumores, abscessus, fistulae, in quibus calculi subinde succrescent, aut partium ipsarum gangraena nascuntur. Minora ceterum discrimina haemor-

rhagiae ex anteriore urethrae parte venientes, et ubi causa facile tollitur, inferunt.

Therapia.

Aethiologiam hujus morbi cum exposuerim, sufficienter demonstravi, illum vix semper non sistere effectum alius morbi, aut in ipsis organis sanguinem fundentibus residentis, aut in remotioribus, nonnunquam etiam morbum universalem ad organa uropoetica convertere impetum, atque haemorrhagiam patefieri. Inania ergo mollimur effectum hunc sublaturi, antequam causam illius abegerimus. Quantum ergo diversum in singulo morbi casu tractamen exposcatur, absque amni difficultate perspiciet, qui causarum diversitatem perpenderit; si ergo laesionem quandem mechanicam, uti vulnerationem, contusionem, conquassationem aut per metum vehementiorem, aut per potulenta spirituosa productum corporis exaestuationem haemorrhagia insecuta fuerit, methodus antiphlogistica, quin venesectio, remedia refrigerantia, emulsa, potus mucilaginosi, fomenta frigida, diaetha tenuissima et fracto sanguinis impetu, decoctum florum arnicae cum exigua salis ammoniaci dosi, aegro conducunt.

Si calculus renalis aut vesicalis causa haematuriae inculpandus venit, nonnisi in casu posteriore a lythotomia, aut lythotritia cura radicalis expectari potest; in priori vero casu et posteriori quoque, si ex causis qualibus cumque operatio non conceditur, cura suscipiatur palliativa, quae remediis absolvitur antiphlogisticis supra expositis, quibus paccantia adjungantur, praecipue opium, tum ore ingerendum, quam ano injiciendum dein extra insultuum tempus remedia, quae decompositionem et solutionem calculorum quandoque efficere, principia scientiae chemicae et experientia confirmavit uti, lixiva et so-

da carbonica, aqua calcis cum lacte aquae acidulae carbonicae. Si ex ulcere quodam vesicam obsidente sanguis funditur, conveniunt, ubi symptomata inflammationis adhuc praevalent, remedia refrigerantia et involventia, cujus vero vestigiis dispersis aqua calcis cum lacte a Cel. Soemmering [1]), uva ursi a Cel. de Haen [2]), Girardi [3]), Gessner [4]) et virga aurea a Barthez [5]) commendantur.

Viribus labentibus terebinthina, balsama nec non injectiones blandae mucilaginosae in ipsam vesicam salutem restituisse Soemmering adfirmat. Carcinomate aut gangraena vesicam destruente, mors vix semper non evitabilis manebit omneque conamen medici in mitigandis doloribus diris aliisque symptomatibus molestis versabitur.

Si cantharidum ex stimulo, vel alio ab acri ingesto, profluvium descendat, venaesectio quandoque et hirudines, emulsio amygdalina cum gummi arabico, camphora, opio, decoctum radicis Salep et Althaeae, cataplasmata cum croco aut herba hyoscyami, clysteris in auxilium vocari possunt.

Si ex suppresso fluxu haemorrhoidali, aut menstruo aut rheumatismo aut arthritide retrogressis haematuria derivanda est, morbos istos ad pristinum sedem revocare conabimur. Sic fluxum haemorrhoidales per vapores aquae fervidae ad anum conductos restituere, aut hirudinibus supplere nitimur, Cel. de Quarin haematuriam in

---

[1]) S. Th. Soemmering Abhandlung über die schnell und langsam tödtlichen Krankheiten der Harnblase etc. Francof. ad M. 809.

[2]) Ratio medendi Tom II. III. IV. IX. X.

[3]) De uva ursi. Patav. 1764 in Sandiforto Thesaurus Dissert. Vol. II.

[4]) Sammlungen aus der Arzeney-Naturkunde.

[5]) Sur les maladies goutteuses Tom II. §. 48.

homine haemorrhoidario fomentis glacialibus regioni pubis applicatis eoque tempore vaporibus ad anum conductis felicissime sanavit. Arthritidem ad membrum ex quo repressa fuerat, frictionibus, fomentis tepidis, synapismis etc. revocare studebimus.

Ablata causa haematuriam sustinente, illa vero nondum silente, therapia instituatur characteri haemorrhagiae conveniens.

In ea, quae hypersthenia est, nec sanguinis jacturam jam nimis viribus infaustam induxit, haematuria, venaesectio, aut alia, quae vim vitalem infringant, usum habebunt; illa vero, quae alvum blande relaxant, serum lactis tamarindinatum, ut vocant, pulpa tamarindorum, solutio Mannae, clyster emolliens, non callidus; nec ob copiam vicino intestino acribus molestus conducent.

Ubi major jam ex nimio profluvio debilitas adparet aut asthenicae hoc ipsum est indolis, tunc elixirium acidum Halleri, acidum sulphuricum dilutum, pulvis Doveri, serum lactis cum alumine, Ratanhia, Tormentilla, Catechu, Gummi Kino, tinctura Cinnamomi, cortex Peruvianus, vitriolum Martis tartari merentur. Nec minora promittunt fomentatio partis, ex qua profluvium scaturire arbitramur cum aqua frigida vel glacie contusa, nive vel meris, vel aceto solutione salis culinaris, alcohole aut spiritibus aromaticis commixtis; clyster frigidus ex aqua et aceto injectus et cataplasmata ex cortice quercus, alumine et albumine insecta et similia.

Experientia praeterea decoctum ex urtica urenti vel lac vaccae cum furfure et herba urticae nutritae, decoctum foliorum prunus Persicae, folia uvae ursi aliave recommendantur.

Inter symptomata urgentia periculosa referri debet, urinae a grumo vel concretione polyposa ad collum vesicae detrusae et suppressae. Hic catheteris ad locum usque

obturatum, non facile ulterius sub majori cautela introducto ope, hoc obstaculum solvendum est. Interdum ea, quae sanguinem grumosum diluere, resolvere juvant, in ipsum vesicae cavum injiciantur oportet. Nonnullis vapor ex sella perforata, perinaeo aliquoties de die admissus, liberum urinae fluxum restituit. Spasmi, si symptomatibus morbosis accedunt, remedia paccantia externe et interne applicanda, praecipue opium ejusque praeparata medici votis satisfacient.

Reconvalescentiae demum, profluvio hocce superato effectibus ejusdem tantum residuis secundum legis artis communes occurrimus, et ut recidivae arceantur, omnes influxus morbo excitando pares, in aethiologia expositi ut sedulo vitentur, operam dabimus.

Urethrorrhagiae tractamen a priori non multum differt. In genere, si est modica, sub urethrae phlogosi, aut quae suppressarum haemorrhoidum ex vitio contingit, sibi ipsi relinquenda nec adstringentibus remediis cohibenda, sed aliorum profluviorum exemplo, ad artis praecepta, ex ipso causarum scaturigine repetenda, tractanda est. Si copia et impetu majore sanguis ex urethra prorumperet, tunc ad chyrurgica potissimum auxilia recurrendum est. Immersio penis, scroti, perinaei, brevis sed frequens in aquam frigidam, glaciei aut nivis ad urethram adplicatio, gelidae injectiones in istam aliquando sufficiunt. Si fluxus nihilominus continuat, acetum lythargyri cum spiritu vini aut aqua, vel solutio aluminis, vitrioli Zinci, acida mineralia diluta et frigida quidem omnia injiciuntur. In summo discrimine, donec alia ad manum sint remedia, praeputium supra glandem ad anteriora trahendum ac digitorum ope, ne sanguinem dimittat, comprimendum est.

Si urethrae ex anteriori parte cruor scaturire videtur, cum splenisto angusto, super illum per longum canalis colorato, — si perinaeo vicina sit profluvii sedes; ad

istam digitis compressio facienda est. Si nec ista sufficiunt: cereolum sit sat amplum, vel melius, catheterem, ex gummi elastico paratum, urethrae immitti, ac vasa istius hoc optimo praesidio apprimi, obturari, necesse est.

Effectus profluvii istius non aliter ac aliorum profluviorum curandi sunt. Sub reconvalescentia aeger praeprimis diu a rebus venereis abstineat, et quamcumque genitalium per spirituosa, acria vegetabilia, condimenta irritationem vitet.

L i t t e r a t u r a.

Franz Hoffmann, Med. Rad. Systema. Halle 1783. I. IV. P. II. pag. 131.

Idem, Diss. de haemorrhagia viarum urinarium. Halle 1730.

Pistor, de haemorrhoidibus vesicae. Tibing. 1729. 4 Cap.

Haselmann, Dis. de haematuria nephritica. Leid. 1768.

Oheer, de renum morbis. Halle 1790. 9. 4. Cap. XI. p. 42.

J. C. Schaper, Dis. de mictu cruento. Rostok 1715.

S. G. Vogel, Handbuch der praktischen Arzeneywissenschaft. Stendal 1800. 5 Theile.

P. Frank, de curandis hominum morbis epitome etc. Manheimi, Lit. V. p. II.

J. C. Reil, über Erkenntniss und Kur der Fieber. Halle 1800. 3 Bde. S. 109.

S. Th. Soemmering, über die schnell und langsam tödtenden Krankheiten der Harnblase und Harnröhre etc. Frankf. a. Main 1809. §. 83-95.

A. G. Richter, specielle Therapie. Berlin 1813. 3 Bde.

W. A. Haase, über die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1820. 1. Bd.

C. G. Schmalz, Versuch einer medicinisch-chyrurgischen Diagnostik in Tabellen. Dresd. Leipzig 1825. (N. 1763-1777.)

I. R. Bischoff, Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung chronischer Krankheiten. Wien 1830.

Fr. Ed. Nob. a Sonleithner, Dis. de haematuria. Viennae 1831.

Theses.

I.

Extractio cataractae tutissime sensum visus reddit.

II.

Tussis convulsiva ab angina membranacea rite distinguitur.

III.

Cholera est morbus contagiosus.

IV.

Non semper scabies est afebrilis.

V.

Vectis obstetricius instrumentum praebet utile.

VI.

Medicus castrensis et militis et medici onera sustentat.

VII.

Ex cadaveribus mortuorum non evolvuntur contagia.

VIII.

Decoctum Zittmanni non continet mercurium.

IX.

Non solum vapores exhalant, sed et nutrimenta folia plantarum resorbent.

X.

Vulnera in cerebro non sunt semper laethalia.

XI.

Ex unico pulsu morbum cognoscere nefas.

XII.

Datur febris intermittens annua.